Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 905
Quelle:
Copyright:

Simonis et Jude non debes currere nude.

IV. *fol.* 204. rubro, manu Sec. XIV. *Incipit scientia ad cognoscendum pericula ecclesie vniuersalis que per ypocritas pseudo predicatores penetrantes domos et ociosos curiosos et gerouagos presentes et futuros introduci debent et de signis eorum et qualiter vitari debent et comprimi edita per episcopum* (sed hoc verbum reformatum, et fortasse olim *expertum*) *in scientia Theologie.* Prologus inchoat: *Sapientiam antiquorum omnium exquiret sapiens* &c. Opus ipsum in V. *Distinctiones* abit, quarum I. initium: *Prima ergo distinctione huius tractatus ad sciendum* &c. Ad calcem accedit *Signorum bonorum pseudo apostolorum ey* (epi?) *logacio supra dispositorum in quinta distinctione.* Autor Operis, qui tacetur, est celeber ille μοναχομαστιξ *Guilelmus de S. Amore* D. *Parisinus*, a. 1272. elatus, de quo non semel *Vol.* I. dixi. Prodiit illud cum reliquis ejus *Constantiae*, ut praefertur, 1632. 4. opera *Job. Cordesii*, qui se *Alithophilum* dixit, et quidem p. 111. tituloque *Collectionum Catholicæ et Canonicæ Scripturæ* &c. Alium, ut vidisti, adsignat integerrimum nostrum Exemplar.

V. *fol.* 297. tacito Autoris nomine, qui *Augustinus* est, et praemisso textu L. II. *Retractat.* c. 21. *Ut de opere monachorum librum scriberem* &c. sequitur hic ipse Liber, prout extat edit. *Maur.* T. VI. *col.* 475. *Jussioni tue sancte frater aureli* &c. sed deficit in Edit. C. XXX. ad verba: *se potissimum corrigendos*, et subscribit: *Explicit Liber de opere monachorum mendicancium.*

VI. *fol.* 308. *Dicta*, ut e calce adsumo, *felici Militi Raymondo.* Epistola illa *de cura et modo rei familiaris Bernardi in senium deducti*, qui utique *Clarae vallensis* non est, sed *Silvester* quidam, ut saepius jam dictum. *Doceri petis a nobis* &c.

CCCXCIX.

Codex membraneus germ. Sec. R. 3303 XV. Folior. 194. f. non una manu, bene tamen per duas columnas exaratus, minio distinctus et quondam Coenobii, ut praefert, *Monseensis*, seu *Lunaelacensis* O. S. B. in super. *Austria* continet I. *Gregorii M. Dialogos* vernacule redditos hoc Rubro: *Hie hebt sich an das puech der zwaier red. sand greiörgn des heilign pabst.* Ejusmodi Versio jam a. 1473. et 76. *Augustanis* typis f. prodiit. Vide tamen, quam differat a nostra.